

Bibliothèque numérique

medic@

**Guilbert, André-Louis - candidat /
Guilbert, Louis-Claude - président /
Scheele, Charles Guillaume - auteur. -
De nova infectionis, fortasse
contagionis destruendae methodo**

1791.

**Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°194**

141

PATRI OPTIMO,

AMICO FIDELI,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI

OB INNUMERA IN FILIUM COLLATA BENEFICIA,

Hanc Dissertationem consecrat haud ingratus filius,


ANDREAS-LUDOVICUS


GUILBERT, PARISINUS,



LIBERTATIS TUENDÆ CAUSA MILES, E REGIA SOCIE-
TATE AGRICULTURÆ, E SOCIETATE PHILOMATHICA,
FACULTATIS MEDICINÆ PARISIENSIS BACCALAU-
REUS, DISSERTATIONIS AUCTOR.

Dabam Parisiis, mense Aprilis 1791 secundi recuperatæ Libertatis Anni.





DEO OPTIMO MAXIMO,

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



DISSERTATIO MEDICA.

De nova infectionis, fortasse contagionis destruendæ methodo.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-nonâ
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. XCI.

M^o. LUDOVICO-CLAUDIO GUILBERT, antiquo Regis
exercituum Medico, & Societate Medica Edimburgensi, &c.

M. CLERIADI VACHIER, Doctōris Medici Regentis, Presidis,
Vices gerente.

I. SI supra oxidum manganesii nigrum acidum muriaticum immittas, & illa duo corpora per spatium unius horæ in contactum relinquantur, fuscum colorem induit liquor, effervescentiæ motus oriuntur in illo, calor elicitur, & sub forma fluidi elastici in auras avolat gaz quoddam colorem citrinum referens, aquâ solubile; si vero calore illorum corporum reactio juvetur, citius exsurgunt effectus supradicti, ut primus annotavit Scheele (1).

II. EADEM phenomena produciunt alia oxida metallica juxta observationem Cel. Fourcroy. Talia sunt oxida plumbi, mercurii, ferri, &c.

(1) Caroli Guil. Scheele Opuscula Chemica & Physica, latine versa a Godofredo-Henrico, tom. I, p. 232.

hinc, mente hujus auctoris, intelligitur, cur oxida metallica, in quibus nimia latet oxygenii quantitas, connubium cum plerisque acidis respuunt, dum muriatico celerrime solvantur. (1)

- III. AUTUMAVIT Scheele acidum muriaticum sui phlogisti partem amittere, phlogiston illud oxido metallico adherere; hinc acidi muriatici dephlogisticati nomine liquidum gaz supra dictum solutum continens, designare non dubitat: Sed Phlogiston in acido muriatico gratis admittit ill. auctor, a tramite Sthaaliano nimium deflectens.
- IV. EXPERIMENTIS vero nunc demonstratur, 1°. in acido muriatico oxigenium tantam adhesionem habere, ut illius basis hucusque inognita sit, ac proinde non decompositum fuerit illud acidum: 2°. in experimento supradicto ad statum muriatis manganefii reducitur oxidum manganefii: 3°. oxigenium oxidi metallici cum acido muriatico novas init combinationes: 4°. oxigenio novæ liquidi proprietates omnino debentur.
- V. Ex illis considerationibus, acidum muriaticum oxigenatum dixerunt illud novæ chemicæ nomenclaturæ auctores (2).
- VI. IN triplici statu reperitur illud, soliditatis nempe, liquiditatis, ac fluiditatis elastica.
- VII. ACTIONE luminis aerem vitalem præbet acidum muriaticum oxigenatum; remanet acidum muriaticum. Tali experimento veram acidi muriatici oxigenati naturam detexit Ill. Berthollet.
- VIII. CALORI si exponatur illud, majorem caloricæ quantitatem absorbet, & sic ad fluiditatem elasticam transit.
- IX. IN substantias terreas, siliceam nempe & aluminam; salino terreas, barytam, magnesiâ & calcem non satis huc usque perpensam actionem exercet acidum muriaticum oxigenatum (3).

(1) Vid. Cl. Fourcroy, opera chemica sparsim.

(2) Primus hanc acidi muriatici dephlogisticati Scheele naturam indicaverat. Ill. Fourcroy, *Éléments d'Histoire Naturelle & Chimie*, première édition, Paris 1782, 2 vol. in-8°.

(3) Encyclopédie méthodique, Chimie, tom. I, p. 135.

- X. NON idem de substantiis alcalinis, potassâ nempe ac sodâ (1). Si in dissolutione carbonatis potassæ transeat gaz acidum muriaticum oxygenatum donec illo saturetur liquor, tunc efformatur murias oxygenatus potassæ ut primus vidit. Cel. Berthollet.
- XI. ACTIONE caloris aerem vitalem purissimum præbet murias oxygenatus potassæ. Vividiorem flammam hujus ope concipit carbo, spontaneam ferme inflammationem in combustilibus provocat, scintillæ solâ frictione & compressione emicant ex illo; acidis sulfurico & nitrico concentratis cum fulguratione decomponitur; ad pulveris pyrii confectionem propositus à Cl. Berthollet, horrendum spontaneæ inflammationis exemplum præbuit (2).
- XII. LATENT adhuc muriatis oxygenati sodæ confectio & proprietates.
- XIII. CUM ammoniacâ si misceatur acidum muriaticum oxygenatum, promptissima fit utriusque decompositio; hydrogenium ammoniacæ, cum oxygenio acidi muriatici oxygenati aquam efformat; caloricum elicitur, & illud absorbendo, azote, alterum ammoniacæ principium ad statum fluiditatis elasticæ transit.
- XIV. SI gaz ammoniacale cum gaz acido muriatico oxygenato in eodem receptaculo reponantur, micat flamma, effluit caloricum, supra receptaculi parietes stillant aquæ guttulæ, superest gaz azote (XIII). Illud experimentum primus fecit. Cl. Fourcroy.
- XV. ACIDUM muriaticum cum acido nitrico si misceatur, repentina fit acidi nitrici decompositio; illius oxygenium cum acido muriatico novas init combinationes, dum azote alterum acidi nitrici principium, calórico tunc elicitó gaz azote efformat & tanquam fluidum elasticum in auras avolat: hinc in illo liquido, acidi nitro-muriatici, vel *aqua regia*, nomine designato, substantiæ metallicæ perfectæ, aurum v. g. & platina, dissolvuntur.
- XVI. ACIDIS nullam decompositionem experitur acidum muriaticum oxygenatum.
- XVII. METALLICAS substantias, aurum præsertim, absque ullo effervescentiæ motu dissolvit, & muriates metallici dicuntur sales tunc efformati.

(1) Quidam autumant illa salia ab acido muriatico oxygenato decomponi; sed hæc usque incerta manent.

(2) Journal de Paris, année 1784.

XVIII. QUAM maximam actionem in æconomiam animale[m] exercent muriat[is] oxygenati metallici. Unum sumamus exemplum. In morbis venereis ad dosim plurimum granorum murias mercurii dulcis adhibetur; si vero muriatis mercurii corrosivi in quo major oxygenii quantitas, eadem dosi ægrotanti porrigeretur, tunc acerrimi veneni effectus produceret.

XIX. IN gaz acido muriatico oxygenato omnia ferme metalla, cum diversis flammæ coloribus, subito, omnique temperaturæ comburuntur, ut primus vidit. Cl. Vestrumb (1)

XX. OLEA fixa concreta, in cereolos & candelas efformata & ignescentia, gaz acido muriatico oxygenato non extinguuntur, flamma tantummodo obscura & rubra apparet, multo vapore nigro circumdatur, & aspectum lampadum vapore atmospherico quasi suffocatorum refert: olea vero volatilia in hoc fluido elastico immersa, subito inflammantur, dum in vapores reducuntur, contactu hujus gaz visibilia fiunt, & aquam efformant, ut novissime detexit. Cel. Fourcroy.

XXI. COLOREM substantiarum vegetabilium destruit acidum muriaticum oxygenatum. Oxygenio floribus absorpto debentur illa phenomena, quum acidum muriaticum remaneat.

XXII. AD decolorationem substantiarum vegetabilium, ad lini, ceræ, gossypii dealbationem feliciter adhibetur acidum muriaticum oxygenatum: & in angliâ jam ex illis proprietatibus a Cl. Berthollet in gallia detectis, ars nova instituitur; nunc apud nos incipiunt utiles illæ institutiones, ut illarum substantiarum dealbatio promptius, minorique pretio æris perficiatur (2).

XXIII. EODEM modo vegetabilium odorem destruit illud juxta. Cel. Berthollet observationes.

XXIV. OLEA fixa ad statum ceriformem transeunt actione acidi muriatici oxygenati, dum olea volatilia resinæ fiunt; in hac utrâque circumstantiâ oxygenium acidi absorbetur.

XXV. UNO verbo acidum muriaticum oxygenatum, in angusto temporis

(1) Annales de Chimie, tom. VI.

(2) Annales de Chimie, tom. II.

spatio eodẽ effectus producit, quos aer atmosphericus in longo temporis intervallo ut primus asseruit Cl. Berthollet; ita ut acidum muriaticum oxygenatum tanquam atmosphæram condensatam considerat Cl. Fourcroy.

- XXVI. IN animalia peculiare effectus producit acidum muriaticum oxygenatum : principiorum regni animalis ordinem intervertit, nimiam oxygenii quantitatem superaddendo.
- XXVII. MEMBRANAM pituitariam afficit ut coriza : hinc illi qui acidum muriaticum oxygenatum ad diversos usus adhibent, ammoniacam prope nares frequentissime admoveant (XIII).
- XXVIII. CUTICULÆ poros multum constringit actio illius acidi.
- XXIX. PUTRESCENTIUM carniũ odorem destruit ut experimentis comprobatur (1). Dum rebus anatomicis cum dilectissimo Vauquelin operam præstarem, cadaveris noxium odorem acido muriatico oxygenato destruximus (XXV).
- XXX. LATRINARUM odorem eodem medio sæpè sæpius delevi. Illud acidum multum præstat acido acetoso, ut evicit. Cel. Hallé (2).
- XXXI. QUUM astringentem virtutem habeat acidum muriaticum oxygenatum (XXVI), quum odores penitus destruat, illud optimum anti-contagiosum fore autumamus.
- XXXII. Si enim cum pleraque scriptorum medicorum parte, in aere septica miasmata contagiosa admittantur, ab acido muriatico oxygenato neutralisantur illa miasmata, & si corpus illo acido ablueretur, contracti cuticulæ poruli, contagioso effluvio transitum recusabunt.
- XXXIII. ACIDO muriatico oxygenato, post epizootiã, post pestem, si irrigarentur stabula, & cadavera, infectionis, contagionis principium destrueretur.
- XXXIV. PELLIS animalium in epizootiã mortuorum, in illo acido si immergerentur, aliquid utilitatis præstarent, dum terræ tanquam inutiles, quinimo noxiæ, hucusque demandantur.

(1) La Médecine éclairée par les sciences physiques, Journal rédigé par M. Fourcroy, t. I.

(2) Recherches sur la nature & les effets du méphitisme des fosses d'aisance, par M. Hallé, M. de P., publiées par ordre du Gouvernement, p. 66.

XXXV. Eodem modo phitlicorum habitatio nullatenus noceret, si illo acido abluerentur eorum vestes, cubilia, cubiculorum parietes.

XXXVI. ANTISEPTICÂ, tonicâ virtute donatur acidum muriaticum oxygenatum (1).

XXXVII. IN affectionibus scorbuticis, ad veterum ulcerum curationem, optimum medicamentum nobis præstat illud acidum.

XXXVIII. FORTASSE tandem acido muriatico oxygenato si immisceatur virus variolosum; nulla fieret illius actio in œconomiam animale.

XXXIX. DE novis illis proprietatibus acidi muriatici oxygenati, experimenta tentare debent medicis lucubrationibus dediti.

(1) Encyclopédie méthodique par ordre de matiere, Chimie, tom. I.

Proponēbat Parisis ANDREAS-LUDOVICUS GUILBERT,

Differtationis auctor;

Ab octavâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1791.

